



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia || Et || Metropolis || Alberti Crantzii || Historici
Doctiss. Sacrae || Theologiae & Iuris Canonici Doctoris ||
celeberrimi, ac Ecclesiae Ham-||burgensis quondam
Decani**

Krantz, Albert

Coloniae, 1574

Capvt XIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11453

tum est: Nam vltra Albim vetuit Augustus legiones suas transire: satis ducens, gentem intra eum limitem in fide continere: in quibus sine controuersia Saxones erant: siue tum Saxi, siue Catti dicerentur. Germanicus quoque Drusi filius, bono patri in Germania optimus natus filius, patriam ditionem cum summa laude regebat: exemplo patris in mansuetudine & lenitate plurimum in Germanis quam se uero imperio procurans. Meminerat periculum Quintilij Vari: qui sub eodem Augusto cum insolentijs libera genti imperare contenderet, cum tribus legionibus à Germanis est ad internecionem deletus. Quam rem fertur idem Augustus tam tulisse indignè, vt insanientis more caput illidens parieti, exclamaret: Redde Germaniam Quintili Vare, redde Germaniam. Reddidit Drusus Nero, priuignus eius, vt diximus, vir mansueti animi: quem Roma expectabat Augusti successorem, nisi illum mors ante Augustum abstulisset. Eadem fuit expectatio de filio Germanico, vt Tiberius succederet: sed illa quoque frustrata est. Ad Saxones redeamus.

CAPVT XIII.

Swarus per ea tempora quidam ex nobilitate Saxonum eò prouectus est, vt cum regia Danici generis stirps praelijs excisa, ad vnam Geritam puellam devenisset, iamque procerum voluntate, eum regem Danis sibi deposcerent, quem illa dignaretur maritum: hoc certè decernentes, suæ quisque spei seruiabant, existimantes vnum aliquem ex suo numero deligendum à puella maritum. Sed sordebant nobili puellæ natales omnium procerum suorum, quibus ipsa regina iusto eminere principatu. Swarus aut Saxo & ipse interpositis amicis rem statuit pertentare. Non recusauit puella, sed gra-

uem ac difficilem conditionem placito inuexit : obtendens, procanti, futurum spondens quod peteret, si ille regni Danici membra per proceres distracta, adunaret. Equidem rege deficiente, cum iustum vacaret imperium, quisque partem sibi desumpsit quam pro sua defenditaret. Egit tum Sicoarus cum regni primoribus : alijs cre nundinatis, alijs per arma deterritis, alijs etiam per promissa ad se inclinatis, vt vni sibi pars magna cederet regnatura. Parantur regio luxu regales nuptiæ : nec deerat aliquid spei præter expectatum nuptiarum diem. Erat quidam Noricæ stirpis regio de sanguine nobilis adolescens Haldanus, qui ad easdem nuptias adspiraret : Nam eadem illi puella non nihil spei fecerat : sed quoddam diuturnam & longinquam militiam ageret, iam dudum nihil ex eo certi compertum esset, fato functus credebatur : apud Russos enim militabat. Fama verò nuptiarum, quod Saxo virgine regia & regno donaretur, ad aures vsque perlabitur Haldani : Deseruit qua tractabat omnia : & raptim exercitu contracto, ipsis nuptijs interuenit : & dispositis per opportuna loca militum præsidijs, scuebat in conuiuantes. Primum verò sponsum ferro perculit : inde resistentes sine discrimine repulit. Habebat verò non paucos in regno & regia, vt sit, qui occultè illi fauerent : & vbi peruentum est ad rem, etiam partes eius adiuuarent. Ad extremum ergo omnes qui votis eius aduersarentur, perdidit : sponsam abduxit : qua ad legitimas nuptias cum regno est potitus. Hæc sunt, quæ de Saxonum antiquitate Danicus scriptor, solo nomine Saxo, (quod in ea gente nonnunquam vertunt in proprium) commemorat : cætera iacent sepulta.